

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Radow

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Georgius Radovius, I. U. D.
... Dn. M. Joannis Kåntzelers/ ad Div. Petri Pastoris ... Funus indicit, & ad eundum
Exequias Omnim ordinum Cives Academicos peramanter invitat : [P.P. sub
Sigillo Rectoratus die 25. Martii, Anno 1668]**

Rostochi[i]: Kilius, 1668

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756283647>

Druck Freier  Zugang



riac
orum
ingenium.

Kl. 241. (3.) <son>

20
PROGRAMMA

Quo
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

GEORGIUS RADOVIVS, J.V.D.

ac Prof. Publ.

VIRI

Maxime Reverendi & Clarissimi

D N.

M. JOANNIS

Rångelers /

ad Div. Petri Pastoris, Rev. Mini-

sterii Senioris, quin & Ecclesiarum Ro-
stochiensium SUPERINTENDENTIS

gravissimi,

Funus indicit, & ad eundum Exequias
Omnium ordinum CIVES ACADEMICOS
per amanter invitat.



ROSTOCHI, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



Odierno in funere vel precare-
mur ferè, vel optaremus, uti NESCI-
REMUS LITERAS. Adeò invitî vos,
CIVES ACADEMICI, nolentesquè
compellamus. Adeò funesta est atq;
lamentabilis officii ista nostri ratio,
quâ ad officium vos vestrum studio-
se sancteque faciendum, jam nunc in-
vitandi non tam datur occasio, quâm
imponitur magè necessitas. Enim-

verò cecidit efferturquè hodiè VIR ætate auctoritateque gravis;
amor ac præsidium suorum; delicium civitatis; ornamentum
Academia; Religionis Christianæ defensor; solidæ eruditionis
columen; R. Ministerii Senior caputq; Quem si quis revocare
votis suffragiisque ex morte in vitam quiret, nemo non, præci-
puè nostri qui foret ordinis, promptè tñenterque operâ isthac
fungeretur. Sed enim vasta nimis ea spes est; tamquè labor iste
nequit quam insumeretur, quâm frustra fuit, cum Romæ revi-
viscere quondam exoptaret Corſiāum Plinius; Atiliū Aviolū
Valerius; aut, Plutarchō referente, alium quondam aliis. Nul-
la est ex isthoc, quo mersus est NOSTER, funere redemptio.
Gaudet quiete suâ, cæloquè gaudet suo FUNCTUS: nec, si vel
maximè daretur, volet ille decurso vitæ annorumque spaciū,
à calce quasi revocari ad carceres. Fuit abiitque, nec quicquam
ille nobis, nisi virtutum suarum reliquit imaginem; & præter-
ea gran-

ea grande sui, quod nulla unquam ex animis nostris celebit ob-
livio, desiderium. Nos, cum nil amplius vivo praestare honoris
ac benivolentiae possimus, dabimus operam, uti jam demortui
eximiè ac venerabiliter recordemur. Natus est illustri hoc ac
celeberrimo loco, Anno seculi hujusce 4. circa Joannis festivita-
tem, Patre quidem Hans Ranzeler Civis ac Salsamentario ho-
norato; Matre vero MARGARITA Prussen Fœmina itidem
eximia. Avus paternus fuit Hans Ranzeler Civis ac Faber
lignarius; Avia paterna, Engel Simens. Avum maternum
habuit Hans Prussen Civem ac Salsamentarium; Aviam ma-
ternam Könige Reiners. Hoc natus est NOSTER sanguine,
honesto quidem satis, sed non admodum claro: Quæ non ad-
modū magni res momenti est; sed magè considerationis oppidò
animitæ. Rectissime Felix Minucius in Octavio; ita enim inscri-
bit aureum suum doctissimumquè dialogum: *Omnes pari sorte*
nascimur; sola est, quæ nos distinguat, virtus. Rectissime itidem
elegantissimæ latinitatis auctor Paterculus Vellejus: *Optimus*
quisque nobilissimus. Scilicet nostra minimè sunt, genus, pecu-
nia, καὶ ἐν τέχνῃ, οὐδὲ χρημάτῃ, uti præclarè sub initium divi-
nissimi operis Stoicorum habet princeps Epictetus. Quin longè
præstat, vili natu esse, & suapte virtute splendere facere abjectio-
rem ceteroqui familiam; quam de majorum insignibus gloriari,
& esse tamen sive generis de honestamentum, sive purgamen-
tum mortalium. Iphicrates, non obstante, quod Tutoris filius
foret, propter virtutem reique militaris peritiam, Imperator
Atheniensium factus est. Qui iccirco Harmodio, ob generis
ignobilitatem convicia ingerenti, Meum, respondit, genus à me
incipit, tuum in te definit. Servium Tullium, quod minus Rex fie-
ret, obscuritas (verba disertissimi Flori recitamus) minimè in-
hibuit, quamvis matre creatus servâ foret. Etsi igitur vene-
randus Senior ac Superintendentis noster, in cuius hodiè hono-

rem scribimus, *homo novus* erat (ita qui originis sunt non admittuntur conspicuae, venustè latinis appellitantur) ita tamen in omnise fite gessit, uti cum clarissimis quibusque vel confetri, vel etiam anteponi iisdem mereretur. Adeoque, quem ex nativitate splendorem non habuit, ipse genti suæ, tot animi corporis que dotibus instructus, abundantissime, primus etiam conciliavit. Pellucebat in eo, inter ipsa statim initia, animi ingeniiq; lumen, quo siebat, uti, divinâ adjutus benedictione, apud fidissimos Praeceptores in Scholâ patriâ, artium ac linguarum solida jaceret fundamenta; deindeque cotidie ad majora adsurgere. Annos natus octo decemque ad *Stralundensem* Scholam, lapsq; triennio, ad Academiam *Gryphiswaldensem* missus est. Utrobiq; fecit, quæ vocationis suæ, aut partium fore suarum arbitraretur. In Academiâ præcipue, quam jam dicebamus, sub clarissimo maximeq; Reverendo Theologo, DN. D. JOANNE VOLSCHOVIO, Collegium Lectorio Disputatorium, super DN. DIETERICI institutionibus Catecheticis, non sine singulari fructu suo, habuisse, referentem ipsimet aliquando audivimus. Ætatis anno 23, in patriam revocatus ab suis est Academiam, ibidemque in Excellentissimorum DNN. Professorum, ac reverendorum Ecclesiæ Ministrorum familiaritatem ita sele insinuavit, uti grande inde studiorum suorum incrementum, hebrææ præcipue linguæ singularem peritem, quin & in concionando non vulgarem promittudinem indipisceretur. Anno seculi 31. plurimum Rev. VIR, DN. M. HINRICUS von der Wieden / Petrinus Pastor, mortalitatem exuebat. Quid discessus NOSTRO princeps promotionis causa fuit. Enimvero, divinâ planè ordinariaque vocatione, ejusdem Ecclesiæ constitutus est Diaconus, eâ hebdomade, quæ palmarum dominicam proximè anteiret. Officio graviter ac inusitatâ functus aliquamdiu industriâ, mox superstitionem DN. Decessore.

soris sui viduam, Feminam ornatissimam, ANNAM Eli-
fowen/ conjugem duxit; felici planè sidere. Namque
& pacatus iste VIRO torus, & verò etiam fœcundus con-
tigit; ut de diuturnitate 31, annorum, quibus stetit, nil
dicamus. Nunquam coire conjugum animos horum-
cerneres, ut qui nullo litigio ullâ ratione divellerentur.
Natiqùe præterea, isthuc ex nexu, ordine octoni sunt li-
beri, videlicet MARGARITA-SOPHIA, JOANNES,
KUNIGUNDA, ENGEL, MARGARITA-SOPHIA, JO-
HANNA, JOHAN-SOPHIA, JOANNES: Ex quibus
quinque, primo ætatis flore, acerbâ abrepti morte; Tres
filiae, etiamnum per DEI vivunt gratiam, parentisqùe
funera mœstæ dolentesqùe prosequuntur. Natu harum
grandior est, eximiæ virtutis pietatisqùe Femina, ENGEL,
Rev. clarissimoqùe VIRO, DN. M. MICHAELI Cordes-
sen/ Ministerii Parchimensis Archidiacono benemerens-
tissimo, nupta, quem 4. liberorum parentem fecit, sc.
ANNÆ-ILSCHEN, JOANNIS-HINRICI, MICHAELIS,
& CHRISTIANI. Altera filiarum superstignantium est
MARGARITA-SOPHIA, ipsa quoquè sexus sui decus,
beati CHRISTOPHORI Danczwerhn / relictæ vidua.
Tertiaipse seminarum lépos, ipsumquè delicum, JOAN-
NA-SOPHIA, NICOLAO Schimmelmann/ juniori, fe-
liciter juncta, cui JOANNEM-NICOLAUM, SIMONEM,
& ANNAM-ELISABETHAM peperit; ut adeò veneran-
dus DN. SUPERINTENDENS noster octonorum, uti
jam ante diximus, liberorum parens, septemquè nepo-
tum Avus fuerit. Ceterum è diverticulo isthuc in viam,
adquè VIRI regredimur honores & officia. Anno se-
culi 44. siebat, uti Rev. & Clarissimus VIR DN. M. ELIAS
TADDELIUS Th. Prof. à Pastoratu Petrinq Rostochiensi.

ad Pastoratum Amstelodamensem obeundum à Belgis
vocitaretur, ipsequè spartam acciperet. Vacare igitur
princeps ad D. Petri functio cœpit, & hactenus de
Diaconatu pœclarè merito huic NOSTRO summo
jure conferri. Quam provinciam totos 24. annos exi-
miè itaqè ornavit, uti Auditorum suorum jugiter ap-
plausum, officiique indefessè ac gnaviter obiti nun-
quam morituram indè laudem reportaret. Necdum
sat honorum dignitatumqè collatum in VIRUM erat.
Restabat SUPERINTENDENTIA. Quam indeptus an-
te biennium est magnâ solennitate, justâq; introduc-
tione. Quâ in re id eximium singulareqè ipsi conti-
git, quod primus omnium foret, qui in Petrinâ quidem
Æde istho chonore fungeretur. Vitam FUNCTI quod
attinet, ea ita fuit comparata profecto, uti meritò ex-
emplo esse aliis, quod ipsi quoquè sequerentur, quiret.
Pietatem tanquam virtutum omnium Reginam Prin-
cipemq; adeò impensè semper coluit, uti nemo ipsi eā in
re anteferretur, pauci pares putarentur. Norat enim
ipse, aliosqè sedulò docebat, ad omnia utilem esse, ha-
berequè promissiones hujus & venturi seculi. Hinc non
tantum ipse, tot annorum decursu, tanquam publicus
Ecclesiæ Doctor, de rebus divinis agebat ac loqueba-
tur, verùm domi etiam privatimqè idem apud suos
urgebat institutum. Et quia isthac in DEUM mente-
erat, non poterat deteriore etiam esse erga proximum.
Nunquam enim res pietatis plenè conficitur, nisi hunc
amēs, sicut te ipsum. Proin siquid bonorum faculta-
tumqè possidcret, id omne ita tractandum usurpan-
dumqè credidit, uti non solus haberet, sed in consor-
tium etiam ejusdem venire pateretur eos, quos tem-
porum


porum diritas suis involuisset fortunis. Temperantia
ac frugalitatis, quæ, vitio ævi, ne incensum quidem ho-
diè virtutum veniunt, semper repertus est studiofissi-
mus. Modestiam in summis etiam honoribus sic secta-
tus, uti animo nunquam elato, semper cerneretur sub-
missiore, quiquè facile cuivis, etiam longè minori ce-
deret. Affabilem omnibus sese præstisit, adeò ut ine-
mo tam humilis foret, cui non ad ipsum aditus pate-
ret. Dexteritatis, fidei, candoris amantissimum ipsi-
met novimus. Nullos ferre mortalium minus pote-
rat, quam pestem mortalium, adulatores. Non erat
præterea retinens injuriarum; non ἀνθρώποις (quo
vitio nullum ferè majus aut spurcius est) nec erat ἄνθρω-
ποις. Eximiè loquebatur etiam de iis, qui ceteroqui
non satis præclarè de ipso mererentur. Sed & justitiæ
observantissimum fuisse, adeò silendum heic minimè
erat, uti primo potius, post pietatem, loco fieri ejusce-
mentionem rei oportuisset. Quid jam porrò de virtute,
quæ in conversationibus cernitur (*Ὀργανίας* Græci
eleganter dicunt) afferemus? Quæ tanta profecto in VI-
RO fuit, uti non temerè reperiire sit, quo cumlubentius
unquam coiisse. Adeò sermones, quos fortè privatim
publice què sociaret, jocis, jucunditatibus, leporibus,
tatiquam sale quodam, condire didicerat, ut, qui cum
VIRO dies insumeret, vix crederetur esse hora. Ne-
fas existimabat, ex eorum esse numero, qui, ceu rigo-
rosi severique Catones, non ante in risus jocosquè resol-
verentur, quam locusta pareret *Lucam Bovem*. Quivè ad-
eò in congregatis *Ὀργάνοις* οὐαὶ, aut facetiis ludere, rem
vel cælo, vel ipsā salute indignā autumarent. Tam ele-
gans ac concinna VIRI vita fuit; unde facile conjectare
habcas.

habeas, mortem non fuisse deteriorēm: Ante annum
morbo implicari visus est, eoquē pertinace gravique,
usquē adeō, ut tantū non integrum semestre lecto fige-
retur, aut vix commodē movere sese indē quiret. Tan-
dem tamen respirare, & ipso denuō fungi officio cāpit.
Ceterūm non admodum fido res valetudinis stetit tibi-
cine. Quaudo identidem relabi optimum SENEM
in priora, anteq; hosce 14. dies detrudi planē ad extrema
videres. Qui cūm jam, quā conditione foret, omnium
optimē nōset, collegit sarcinulas, præviāquē seriā ar-
dentiq; confessione, sacrāquē synaxeos usurpatione,
erroribus sese, quibus irretiebatur, exolvit, lapsāquē
non ita pridem palmarum dominicā, quintam inter sex-
tāq; pomeridianā, sine ullo violentiori corporis motu,
piè sancte q; in DOMINO obdormivit. Hodiē tanto VI-
RO parabuntur exequiæ. Ad quas cohuestandas non
adeō vos, CIVES ACADEMICI, prolixē invitare se-
det sententia. Confidimus enim, neminem fore
inter vos, qui non ultrō accursurus, atquē
ultimum hoc FUNCTO exhibitu-
rus sit officium.

P. P. sub Sigillo Rectoratus die 25. Martii,
Anno 1668.

Convenietur in Æde Petrinâ
horā I. pomerid.





ges ac Principes s^ep^e attoniti audire: Suas
eminentis vim, non secus ac Demosthenici
petum imperij Proceres s^ep^e sensere. De
s non tantum privati, sed & publici partibus,
minis forma, de religionis purioris vindicijs,
ibus recte instituendis, litium prolixis telis
ad publicam salutem conservandam necessaria
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-
luit alter Sulpitius, studio, usu, experientia, &
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientia
olanè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij
storū disertissimū & oratorū juris peritissimū
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-
peris continentia, in fortunæ instabilitate
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes
imniatum, invidiæ & litoris iclus ac mortus
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis
& occupatisissimus fuerit, semper tamen
n respexit, ejus ut quondam alumnus, ita
as defensor, imo & excultor perpetuus fuit.
viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-
dente, eidem in officio suffetus & in collegium Juridici
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vita statione fidum
tiones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &
tiri & Labeonis JCt ex exemplo annum quasi cum labori-
quibus tamen cum sensim nimis irretiri & aulæ astringi
caria viri consultissimi Christiani Obmichy J. D. eximij,
demicum sibi creditam, luculenter feceravit. Virtuti-
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus
navit, seq; invictum reddidit: ast à morbis corporis se-
otius quod animo fortior, ed semper fuit corpore debilior:
um in itinere quodam officij ratione sucepto, correptus
ti initio typum tertianæ simplici gessit, ita non multò
sentavit, & inædis inducijs indulcis, majori paulò post
tuans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,
Accesserunt lienis & mesaræ obstrunctiones, & quar-
oles scorbutus, perennis iudem à capite ad fauces & pul-
ascens indelinens tusus, cuius vehementia, venula pul-
monum